

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0283

0281

0287

0277

0292

0272

0332

0232

0382

0182

0782

271

Porro anno Domini MCXVIII. virtuosus rex, ut Aegyptiis refunderet pro his, quae in regno saepius commiserunt, cum ingentibus copiis descendit in Aegyptum, urbemque antiquissimam, Farannam nomine, violenter obsessam expugnavit, praedamque militibus divisit. Sita est haec civitas in littore maris non longe ab ostio Nili et antiquitus dicebatur Tamenis. In hac civitate cum rex consisteret parans se ad interiora Aegypti penetrare, graviter infirmatus est. Quare indicto legionibus reditu lectica vectus est, ubi morbo superatus migravit ad Dominum; inde Jerosolymam reportatus dominica in ramis palmarum sepultus est juxta fratrem Gothfridum sub Calvariae loco regia magnificentia. Regnavit autem XVIII (annis) in Jerusalem, nec post se reliquit sui seminis superstitem.

#### Tertius rex Jerusalem.

Post mortem itaque secundi regis Jerusalem, Balduini, hujus nominis I., successit in regnum secundus Balduinus, tertius Latinorum rex ex nostris in Jerusalem, anno Domini MCXVIII. et XIII annis regnavit, fuitque amborum praecedentium regum consanguineus, dictus Balduinus de Burgow, natione Francus, de provincia Remensi, filius Hugonis comitis de Rechest, eratque forma conspicuus, corpore procerus, facie venusta, capillo raro et plano, canis mixto, barbam habens raram usque ad pectus dimissam, ad usum armorum habilis, rei militaris multam habens experientiam, erat praeterea clemens, religiosus ac timens Deum, et adeo in oratione jugis, ut callos haberet in manibus et genibus prae genuflexionibus ac afflixionum frequentia. His et aliis bonis conditionibus non obstantibus multis principibus ejus promotio in regnum valde displicuit. Quare comitem Bolaniensem, dominum Eustachium, fratrem Balduini primi defuncti regis, per nuntios solennes invitaverunt, ut ad regnum, quod sibi haereditario jure debebatur, veniret. Sicque licet invitum et renitentem usque in Apuliam traxerunt, ubi audiens Eustachius, quod medio tempore Balduinus de Burgo rex esset in Jerusalem ordinatus, ad propria retrocedere disposuit, et asserentibus, quod contra jus factum fuerat, nullo modo stare posse,

Ende

Anfang